


EPISTULA LEONINA

CCXV

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CCXIV** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM QUINTAM DECIMAM (215) !

ARGUMENTA

NON QUOT SED QUALES.....	03
CHRONOGRAMMATA IOHANNIS ET HERBERTI.....	04-05
DE QUARANTENA.....	06-08
O VIRUM PERTINACEM! (<i>Urbanus Ferrarius Brasilianus</i>).....	09
EPISTULA THEODERICI STRATMANN BEROLINENSIS.....	10
FABELLA GRIMMIANA: <i>Des Teufels rußiger Bruder</i>	11-17
PRAEMIUM POETICUM INTERNATIONALE (<i>Horatius Bologna</i>).....	18

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

Epistulam Leoninam tibi offero ducentesimam quintam decimam (215). Primo aspice insigne bursariorum Holzmindae heraldicum; deinde admirare Iohannis Demmingii Herbertique Douteil artem chronogrammaticam; tertio loco agitur de quarantenâ, spatio temporis, quo homines, qui in suspicionem contagionis venerunt, vitam degant insulatam. Hôc autem tempore, quo vîrus covidianum saevire non desinit, quisnam rerum tam imperitus sit, ut contendat quarantenam esse rem tractatu indignam? – Quarto autem loco noli pratermittere epistulas Urbani et Theoderici! Quinta res quam hac in Epistulâ Leoninâ tractamus, est lepidissima fabella Grimmiana: agitur enim de “Diaboli fratre fuliginoso”. Cara Lectrix, care Lector, tolle, lege, laetare. Si amas certamina poetica, rogo te, ut sexto loco perlegas annuntiationem ab Horatio Bologna scriptam. Restat, ut Tibi Tuisque exoptem valetudinem prosperrimam. Utinam semper procul sis a vîro covidiano: vivas, crescas, floreas!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,

Die Martis, 17. m.Mart. a.2020



NON QUOT SED QUALES !

Ecce Holzmindensium studentium bursariorum insigne heraldicum. Qui bursarii evidenter praeferunt quantitati qualitatem: Non tantum valet, quot simus, sed maximê valet, quales simus!

CHRONOGRAMMATA DEMMINGIANA

HODIE ANTE CENTVM ANNOS BORIS VIAN
 FRANCOGALLICVS POETA AVSTERS FEROX
 ARTIFEX NOBILIS SAGAX
 PARISIIS NATVS

Hannes Demming fecit

Zum 7. März 2020

R. DVTSCHKE FORTIS CIVIS HOMO
 CONCITANS ANTE OCTOGINTA ANNOS
 NATVS

Gruß aus Münster, Yorks Partnerstadt!

GRANDIS BRITANNIA
 DEMENTER EXIIT
 AT EVROPA STAT

CHRONOGRAMMATA

PATRIS HERBERTI DOUTEIL BRASILIENSIS

Zum 13. März, dem **7. Jahrestag der Wahl von Papst Franziskus:**

2020* aVe, Iorge MarIo bergogLIo arChIepIsCope VrbIs aerIs bonI VII annIs ante franCIscE sVCCessor sanCtI petrI eLeCtVs, sIs totIs nobIs LVX VerItatIs In Vrbe et orbe. – Sei begrüßt, Jorge Mario Bergoglio, Erzbischof der Stadt Buenos Aires, vor sieben Jahren als Franziskus zum Nachfolger des heiligen Petrus gewählt, sei uns allen ein Licht der Wahrheit in der Stadt und auf dem Erdkreis.

Zum 19. März, dem **Fest des heiligen Joseph:**

2020* Ioseph pater pVtatIVVs et sponsVs pIae VIrgInaLIIs genetrICIIs DIVINI FILII IesV ChrIStI erat sapIens beatVs InCOMpreensIBILItatIs et Verae pIetatIs. - Joseph, der Ziehvater und Gemahl der frommen jungfräulichen Mutter des göttlichen Sohnes Jesus Christus, war der weise Selige des Unbegreiflichen und der wahren Frömmigkeit.

2020* MeMento nostrI, beate Ioseph, In hora eXIItVs nostrI! - Gedenke unser, gütiger, heiliger Joseph, in der Stunde unseres Todes!

Zum 25. März, dem **Fest der Verkündigung an Maria:**

2020* angeLe pIe, eCCe, ego anCILLA DoMInI, flat VoLVntas patrIs nostrI aeternI et sapIentIae.. – Lieber Engel, siehe ich bin die Magd des Herrn, es geschehe der Wille unseres ewigen Vaters und der Weisheit <des Hl. Geistes>.

2020* aVe, MarIa pIa et fortIs, ne tIMEas, VIrgo pVra! – Sei begrüßt, Maria, du gottesfürchtige und starke, fürchte Dich nicht, reine Jungfrau!

2020* aVe, MarIa, serVa pVrIssIMa, ora pro totIs nobIs. - Begrüßet seist Du, Maria, reinste Magd, bitte für uns alle.

2020* MeMento nostrI, pIa et fortIs genetrIX IesV! - Gedenke unser, gütige und starke Mutter Jesu.

DE QUARANTENA

IN DUCANGII GLOSSARIO ET APUD HENRICUM SCAILLE DIONANTINUM COMMÉMORATA

+**quarantēna**, -ae f. angl. *quarantine*; theod. *Quarantäne*.

1) <http://ducange.enc.sorbonne.fr/QUARANTENA>

« 1 **quarentena** » (par C. du Cange, 1678), dans du Cange, *et al.*, *Glossarium mediae et infimae latinitatis*, éd. augm., Niort : L. Favre, 1883-1887, t. 6, col. 593c. <http://ducange.enc.sorbonne.fr/QUARENTENA1>

1. **QUARENTENA**, Quadragesima, in aliquot Galliae Provinciis, *la Quarantaine* : unde efficta vox *Carena*, quam consule, a Latino *Quadragesima*, non a Teutonico, ut vult Burchardus lib. 19. cap. 5. quod observat Vossius lib. 3. de Vitiis sermonis cap. 40. Alexander III. PP. Epist. 114. inter Francicas tom. 4. Hist. Franc. :

Accepimus ex litteris tuis Regiae Celsitudini per alia scripta non fuisse expressum, utrum in Quarentenis feria sexta illam relaxationem, quam in sexta feria aliorum temporum tibi fecimus, debeas observare.

Will. *Guiart* in S. Ludovico :

Tout l'Advent et la Quarantaine.

MS. :

Ja nen vausist jour espargnier,

Ne Venredi, ne Quarantaine.

les Bénédictins de St. Maur, 1733–1736.

[Quarantena](#), Eadem notione. Vita S. Bonae tom. 7. Maii pag. 151 :

In ultima Quarantenarum, quas Romae cum abstinentia multa et devotione peregit, etc.

[Quarentena](#), etiam dictum Desertum, in quo Christus 40. diebus totidemque noctibus jejunavit, Eugesipo de Terra S. pag. 119. apud Allatium lib. 5. Symmict. Arnoldo Lubecensi lib. 2. cap. 7. Alberto Stadensi pag. 186. in Vita S. Theotoni Canonici num. 4. Jacobo de Vitriaco lib. 1. Hist. Hieros. cap. 52. et

Sanuto lib. 3. part. 14. cap. 3. Deserti istius etiam meminere Adrichomius in Benjamin. num. 9. Quaresmius lib. 6. Elucidar. Terræ Sanctæ, et alii.

2) <https://www.wissen.de/wortherkunft/quarantaene>

WAHRIG HERKUNFTSWÖRTERBUCH, s.v. Quarantäne

„1. Absonderung ansteckungsverdächtiger Personen oder Tiere

2. *eigtl.*: vorgeschriebene Wartezeit für einreisende Personen und eingelaufene Schiffe, die aus krankheitsverseuchten Gegenden kommen ♦ **aus frz. *quarantaine* „Anzahl, Summe von vierzig; vierzig tägige Fastenzeit vor Ostern; vierzig tägige Absonderung bei Ansteckungsverdacht“**, zu frz. *quarante* „vierzig“, über vulgärlat. *quarranta* aus **lat. *quadraginta* „vierzig“**; am Ende des 14. Jh. wurde in den oberital. Häfen zur Abwehr der Pest eine Wartezeit von 30 Tagen für einlaufende Schiffe eingeführt, **die jedoch vorsichtshalber bald auf 40 Tage erhöht wurde; man konnte bei dieser Erhöhung auf eine religiöse Tradition zurückgreifen, da in der Bibel der Zeitraum von 40 Tagen eine große Rolle spielt, z. B. zogen sich Moses und Jesus zum Fasten 40 Tage in die Wüste zurück.**“

3) **VULG. Matth. 4,1-2** 1Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. 2Et cum jejunasset **quadraginta diebus**, et quadraginta noctibus, postea esuriit.

VULG. Lucas 4,1-2 1Jesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est a Jordane : et agebatur a Spiritu in desertum 2**diebus quadraginta**, et tentabatur a diabolo. Et nihil manducavit in diebus illis: et consummatis illis esuriit.

4) cfr **HENRICUS SCAILLE DIONANTINUS, Sacramenta tempore pestis, Lovanii 1704**, p.335sqq.:

«Observatio II: **De quarantena**. Quarantena sub finem capitis precedentis memoratam appellant spatium quadraginta dierum seu sex septimanarum, quo qui peste affecti fuerunt vel de peste suspecti sunt, aut in iisdem aedibus cum peste infectis habitant, jubentur domi se continere & à sanorum consortio abstinere, ut constet quod à peste sunt plenè curati, vel illa non fuerint correpti. Ad tantum temporis spatium recluduntur vel segregantur, quia medici docent & experientia comprobat posse pestem per plures aliquando septimanas latere in alicujus corpore antequam ipse persentiat aut illa exterius se prodatur.

Ad quarantenam servandam strictè admodum & accuratè adiguntur in regionibus Italiae & quibusdam aliis calidioribus, in quas pestis si semel irreperit solet edere strages incomparabiliter funestiores, quàm

consuevit in nostro Belgio, prout ex historiis discimus. Inde fit quod in istis locis non rarò severè nimium procedatur tum adversus indigenas de peste vel leviter suspectos, tum adversus aliunde adventantes iis temporibus, quibus pestis alicubi regnat. Hi enim nisi adferant secum biletum sanitatis, ut vocant, quarantenam extra muros coguntur absolvere cum magnis incommodis; & in eos qui non debitè biletum muniti Urbes aut Oppida intrare praesumunt poenâ mortis subinde animadvertitur; uti intellegi plenius poterit ex iis quos contigit annis contagiosis in Italia peregrinari. In nostris partibus quoad diversa mitius agi, omnibus sat notum arbitror, estque inauditum quod integra oppida aut communitates domi sic recludantur & ab Ecclesiae conventu omnes arceantur.

Istud porro ad elucidationem eorum quae ad calcem capitis anterioris habentur hîc notandum venit, quod aliud sit communitatem aliquam totam, vel integram unam unius notabilis oppidi partem obligare ad se continendum domi tanto temporis spatio sine ullo publico Christianae religionis exercitio, aliud incolis alicujus oppidi aut pagi, in quo pestis vehementer grassaretur, negare dumtaxat ingressum in vicinas urbes aut pagos à peste adhuc immunes. Primum est, quod per Concilium monentur Magistratus videre ut non fiat. De secundo ibi nihil attingitur, nec illud ea secum incommoda adfert quae primum: Nam ex eo quod non admittantur ad alia loca hactenus non infecta, non impediuntur à praestandis officiis pietatis consuetis, etiam in suis Ecclesiis, quandoquidem debeat ipsis provisum esse de sacris ministeriis: aliunde autem potest aliquando imminere aliis tam praesens contagii periculum ex commercio cùm ipsis, ut inhumanum censi non debeat, si accessus tunc illis denegetur; dummodò tamen pro Christianae charitatis debito hoc diligenter procuretur, ut interea nihil illis desit necessariorum ad vitam & curationem; & cavendum semper ne sit excessus in rigore ex quodam panico timore, & ne exinde afflictorum calamitas nimium increseat.».

NONNULLA DE QUARANTENA SCRIPTA EXCERPSIT LEO LATINUS

URBANUS FERRARIUS BRASILIANUS

Ave, Leo noster Latine!

His diebus, cum virus coronatum covidianum populos et nationes circumvenit, aliquando fiunt raræ et inusitatae res. Cuius generis est narratio, quam tibi mitto. Vale semper. Urbanus Ferrarius Brasilianus

O VIRUM PERTINACEM!

Superiore Martis die, id est, III Nonas Martias huius anni MMXX, Districtûs Fœderalis præfectus confirmavit primum contagionis casum a vîro coronato covidiano. Agitur de causidica quadam 52 annorum, cuius nomen non est proditum.

Una cum marito uxor iter fecerat in Britanniarum Regnum et in Helvetiam; itinere perfecto ambo Brasiliapolim reversi sunt. Uxor tamen, quia diabetæ morbo iam laborabat et quia peius se habebat quam umquam, nosocomium cito petiit. Ibi rite confectis inspectionibus laboratorialibus dignovit se esse contactam a covidiano vîro. Iussu medici in nosocomio mansit.

Maritus, vir 45 annorum, statim in suspicionem cecidit. Sed præceptis medicis ei traditis, cognitis et uxoris statu et internationali formidine, non modo uxorem frequenter visitabat in nosocomio, verum etiam libere ibat et redibat per urbem. Quod cum animadverterent, infirmarii et medici persuadebant ei, ut laboratoriales subiret inspectiones et domi maneret. Ipse tamen tres dies pernegavit se subiturum seque domi mansurum.

O virum pertinacem, nec morbo victum, nec præceptis medicis vincendum!

Sed non potuit non acquiescere iudiciali sententiæ, per cuius vim et inspectus est et domi reclusus. Examen laboratoriale confirmavit suspicionem.

SCRIPSIT URBANUS FERRARIUS BRASILIANUS

THEODERICUS STRATMANN BEROLINENSIS

Theodericus (Dirk) Stratmann magister Berolinensis epistulam misit quae sequitur:

Sehr geehrter Herr Dr. Nicolaus Groß!

1]

Haben Sie den Artikel " Der Fluch der Fledermaus " aus der Weltwoche vom 27. Februar 2020 in digitalisierter Form? Könnten Sie ihn mir dann vielleicht zumailen. Wenn das etwas kostet, zahle ich auch.

2]

Gibt es bei den Empfängern Ihrer tollen Rundmails auch mehrere in Berlin? Ich gebe jeden Donnerstagmorgen (nicht in den Schulferien) einen kostenlosen lateinischen Lektürekurs " Mit Latein durchs (Kirchen-) Jahr ". Möglicherweise kennen Sie Leute in Berlin, die man darauf hinweisen könnte? Flyer hätte ich.

3]

Im Lektürekurs orientiere ich mich immer an dem jeweiligen Datum, damit Abwechslung reinkommt und wir nicht etwa fünf Wochen Frühlingslieder und dann vielleicht sechs Wochen Descartes machen.

Beim letzten Mal am 5. März war Josef Stalins Todestag. Da verglichen wir in zwei Punkten den Josef Stalin mit dem alttestamentlichen Josef. Beide Josefs praktizierten Planwirtschaft (Siebenjahrespläne, Fünfjahrespläne). Stalin erniedrigte die Bauern gleichsam zu Staatsangestellten, um die Landwirtschaft rentabler zu gestalten (entsprechend zeigte das Wappen der Sowjetunion die Getreideähren). Millionen gingen dabei drauf und bis zum Ende der Sowjetunion musste diese Getreide importieren. Der alttestamentliche Josef erniedrigte ebenfalls die Bauern. Er nutzte die Hungersnot aus und machte die Bauern selbstlos als "Fürstenknecht" (so der marxistische Jargon) zu landlosen Leibeigenen des Pharao.

Ich nehme an, dass viele gebildete Leute diese Seite des Josef nicht kennen - als Kind bekam man immer nur die Schokoladenseiten vorgeführt. Falls Sie Lust haben, könnten Sie ja hierüber aus der Vulgata bringen Erste Buch Mose Kap. 41 (47-49; 53-57) und Kap. 47 (13-26).

Mit freundlichen Grüßen
Dirk Stratmann

FABELLA GRIMMIANA

DE DIABOLI FRATRE FULIGINOSO



Miles rude donatus nihil habuit, quo viveret neque scivit, quonam modo vitam sustentaret. Tum foras iit in silvam; cum paulisper migravisset, incidit in homunculum, qui fuit diabolus. Deinde homunculus: „Quare doles? Videris esse animo misero.“ Miles autem dixit: „Esurio, sed non habeo pecuniam.“ Tum diabolus: „Si servus meus“ inquit „mercennarius esse volueris, accipies tantam mercedem, quanta tibi sufficiet in aeternum; oportet per septem annos mihi servias, deinde emancipaberis. At unum hoc tibi dico: Neque licet tibi te lavare neque capillos pexere neque resecare ungues et capillos neque nares emungere neque aquam ex oculis extergere.“ Tum miles: „Sic fiat!“ inquit et cum homunculo rectâ viâ abiit in gehennam. Deinde diabolus militi dixit, quid ei faciendum esset: ignem ei sub cortinis esse refocillandum, ubi insiderent homines assandi, domum esse purgandam, quisquilias esse ferendas ad locum post portam situm et ubique res ordinandas; at si semel tantum cortinas inspexisset, istud pessimê sibi evasurum esse.”




Deinde miles dixit: „Bene est. Hanc rem curabo.“ Tum vetus diabolus profectus est migraturus et miles munere coepit fungi, ignem excitavit, quisquilias scôpis everrit et ad locum post portam situm portavit; diabolus cum rediisset, operâ datâ contentus iterum abiit. Nunc miles oculos huc illuc coniciens aspectabat cortinas gehennae circumcirca collocatas, quibus suppositus erat ignis ingens et ex quibus audiebat bullationes atque crepitationes infernales. Iestas cortinas miles semel saltim inspicere ardentissimê cupiebat, sed hoc ne faceret ei severê interdictum erat; tandem sibi non iam temperavit, quin adiret et primae cortinae operculo paululum sublato inspiceret.



Tum conspexit decanum militem olim sibi praepositum cortinae insidentem et „Babae!“ inquit, „Heus cucule, hîcine in te incido? Olim tu me vexasti, nunc ego te!“, operculo celeriter remisso ignem refecit necnon crema addidit. Tum adiit cortinam alteram, operculum paululo sustulit, inspexit et ecce, insedit miles signifer olim sibi praepositus, quem sic allocutus est: „Babae! Heus cucule, hîcine in te incido? Olim tu me vexasti, nunc ego te,“ et operculo clauso caudicem apportatum igni imposuit, ut cortina quam optimê ferveret. Nunc videre voluit, quisnam sederet in cortinâ tertiâ, et ecce! infuit imperator quondam eius, quem sic allocutus est: „Babae! Cucule, hîcine in te incido? Olim tu me vexasti, nunc ego te!“, et folle adhibito



curavit, ut sub imperatore quam optimè flagraret ignis infernalis. Itaque veteranus per septem annos in gehennâ munere functus est, corpus numquam lavans, nares non emungens, neque ungues neque capillos resecans, neque ullam aquam ex oculis extergens, et spatium septem annorum eidem viro visum est vix longius quam annus dimidius. Tempore elapso diabolus vênit et ex illo quaesivit: „Heus Iohannes, quidnam egisti?“ – „Ignem sub cortinis excitavi, gehennam scôpis everri, quisquilias portavi ad locum post portam situm.“ – „At cortinam inspexisti; feliciter successit, ut cremia adderes, alioquin vita tua perdita esset; nunc spatium muneris tui est transactum, visne domum redire?“ - „Volo, nam sciscitor, quidnam domi agat pater meus.“ Tum diabolus: „Ut accipias mercedem bene meritam, i et comple peram tuam quisquiliis, quas tecum afferas domum, abeas autem illotus et impexus, capillis longis, longâ barbâ instructus, unguibus non resectis, oculis caliginosis, et si quis ex te quaesiverit, unde venisses, dicas: „ex gehennâ“; et si îdem ex te quaesiverit, quis sis, dicas: „diaboli frater fuliginosus necnon rex meus.“



Tum miles tacitus fecit ea quae diabolus postulaverat, sed mercede suâ non fuit contentus.

Miles nunc in mundum reversus in silvâ stans peram depositam voluit effundere; sed cum aperuisset, vidit quisquilias in aurum purum esse mutatas. Hôc aspecto miles gavisus urbem iniit. Caupo autem ante cauponam stans cum veteranum conspiceret advenientem, territus est, quia Iohannes aspectu erat tam horribili, ut foedior esset quam formido avium, eundem acclamavit: „Unde venisti?“ – „E gehennâ.“ – „Quis es?“ – „Ego sum diaboli frater fuliginosus necnon rex meus.“ Nunc caupo non sivit eum intrare, at ubi cauponi monstravit aurum, caupo ipse Iohanni aperuit ianuam. Tum miles cauponem iussit sibi dare conclave omnium optimum, cibos afferre delicatissimos, bibit atque comêdit, ut saturaretur, sed neque se lavit neque capillos suos pexit, ut a diabolo sibi mandatum erat, et tandem cubitum iit. At caupo

perâ auri plenâ aspectâ nullo modo sedatus est, usque dum nocte ad peram reperet eamque furaretur.



Postridie mâne cum Iohannes surgeret cauponi pecuniam soluturus et profecturus, animadvertit peram sibi esse ablatam. Sed haud diu moratus se sine culpâ fuisse infelicem cogitans revertit in ipsam gehennam; ibidem diabolo veteratori lamentatus est eumque rogavit, ut se adiuvaret. Diabolus autem: „Conside“ inquit, „nam te lavabo, pectam, sinam te nares emungere, capillos unguesque reseabo, oculos tibi extergam,“ et his rebus confectis militi dedit peram quisquiliis completam et: „abi et dic cauponi, ut tibi reddat aurum tuum, alioquin me venturum esse illumque mecum abducturum esse ad locum, ubi tu laborasti.“ Deinde Iohannes e gehennâ ascendit ad cauponam cauponique dixit: „Tu mihi furatus es aurum meum; nisi reddideris, in gehennam abducêris ad locum meum operandi, ut tali aspectu sis qualis sum ego.“ Tum caupo Iohanni reddidit aurum necnon plura superaddidit eumque rogavit, ne cui proderet istam rem. Itaque miles quondam pauper factus est vir dives.



Des Teufels rußiger Bruder

Deinde Iohannes profectus est ad patrem suum, sibi êmit malum amiculum linteum induendum, circumvagans nervis tibiisque canebat, nam hoc apud diabolum in gehennâ didicerat. Regnabat autem quidam rex senex in terrâ, coram quo cum caneret, îdem tanto gaudio elatus est, ut Iohanni promitteret filiam suam natu maximam in matrimonium ducendam. At ista cum audivisset sibi nubendum esse rupici tam vulgari, qui indutus esset albo amiculo linteo: „Potius“ inquit, „aquis me submergam“. Tum rex Iohanni dedit filiam minimam, quae, cum patri esset summâ cum pietate dedita, libenter erat nuptura viro quamvis vulgari. Itaque frater diaboli fuliginosus accepit filiam rêgis, et rêge mortuo accepit totum regnum.

FABELLAM GRIMMIANAM

C.T. „Des Teufels rußiger Bruder“

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

PRAEMIUM POETICUM INTERNATIONALE



III Premio Internazionale di poesia “Modernità in metrica” Scadenza: 21 marzo 2020

CERTAMEN POETICVM I I I

Omnibus linguae Latinae cultoribus III Certamen poeticum proponitur, quod in altera mensis Aprilis parte, anno MMXX celebrabitur.

Petitor, qui opusculo astricta oratione composito Certamini interesse cupiat, sibi ipsi seligat argumentum, ad huius aetatis uel alias res pertinens, de quo Latine agat.

Omnibus tamen petitoribus haec sunt obseruanda:

- poetarum fetus ne minus XL uersibus constet neque numerum LX uersuum excedat;
- unusquisque petitor tria carmina mittere potest;
- petitor, ubicumque terrarum est, operis sui exemplar, ad unum tantum argumentum pertinens, a. d. IV Id. Mart. a. MMXX mittendum curet per indicem electronicum ad info@associazionemimesis.com;
- petitor opus suum in summa pagina sententiola notet. Eandem in alia repetat pagina, in qua nomen et cognomen, telephonii gestabilis numerum una cum indice electronico declaret.

Victoris carmen in uolumen colligetur, quod, praefatione ab Horatio Antonio Bologna exarata, per domum editoriam Armando Caramanica edetur.

Victor diplomate et XXV voluminis exemplaribus donabitur;

- petitores, qui sint laude a iudicibus digni putati, diplomate tantum ornabuntur.

Iudicum Praeses

Horatius Antonius Bologna

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS-LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM QUINTAM DECIMAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



Die Martis, 17. m.Mart. a.2020

Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae

